



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Decretum. XLVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

non raptim graui incesso conueniant: ubi conuenerint, loco constituto, superpellicea, quæ munda ac decencia sint, aut alias sacras vestes, pro Ecclesiastici beneficij quod quisq; obtinet ratione, induant; quibus recte & decenter induti, inde ad statum sessionalem locum, non turbulenter, sed quietè, & quoad eius fieri potest, bini veniant, atque ordine considerent.

Nec verò quisquam mane priusquam conueniat cibū capiat, sed ieiunus adsit. In loco igitur benedictionis considerentes Domini Sacerdotes, & reliqui inferiorum ordinū clerici, ne vocibus obstrepant; ne tumultibus rem Synodalem perturbent; ne confabulationibus operā dēt: sed hæc omnia, ceteraq; maximè carneant, quæ ecclesiasticæ disciplinæ, synodalis actionis dignitati, & loci venerationi non conueniant.

Cum autem de examinatoribus diocæsanis, ac de iudicibus causarum deligendis agatur; hoc in suffragijs ferendis singuli spectent; vt nō humanis affectibus obsequantur; sed Deo, conscientie suæ, religioni, & Ecclesiæ vtilitati, animarumq; salutis satisfaciant.

Quo tēpore Synodus habet, ne cuiquā Sacerdoti clerico vè Mediolano discedere liceat; nisi missione à nobis impetrata. Absoluta de more Synodo, & sanctis ac clamorationibus factis, tunc omnes Sacerdotes & clerici surgentes, cum reuerētia osculum pacis à nobis accipiant, & sibi inuicem dēt cum timore, & amore Dei. Quodq; sancti osculi significatione ostēdunt, in re ipsa præstent; vt coniunctissimis animis, concordiaq; voluntate, & pacis atque charitatis studio, quæcunq; sancita sunt, sollicitè exequantur.

#### Decretum. XLVI.

QUO diligentius, atque adeo accuratius, & in vrbe ij quos vnicuique regioni Archiepiscopus præfecerit, & in diocæsi Vicarij foranei muneris atque officij sibi commissi partes exequatur; quò item crebrius ac vigilatius diocæsis statas, cui assidua pastorali speculatione prospiciendum est, exploratus ipsi Archiepiscopo sit atque cognitus; cum ex omni alia ratione, tum ex eo, quòd illi cer-

Visitatio à  
pfectis vr  
bis, & Vica  
rijs For  
aneis obeun  
da, & alia q  
dam

to anni tempore ad ipsum studiosè referant, non solum quæ de Synodo diocæsanâ decreto generatim vniuersèq; præscripta sunt; verum etiā quæcunq; sigillatim, ac præcipuè pro temporum ratione idem Archiepiscopus illis præscribenda censuerit: nos in hoc genere ita consultū esse volumus, vt illi Mediolani, in diocæsiq; Vicarij foranei, in sua quicq; regione commissi, præter illam in suo manere gerendo curā, suasq; frequentiores per annum visitationes, præterq; nostrā, & nostrorum generalium Visitatorū in visitando diligentiam, ipsi etiā singularem, accurata diligentiaq; ratione visitationem cōcredite sibi regionis cumulatiue exactiusq; obeant, à die sancti Martini vsque ad diem festum Ordinationis sancti Patris nostri Ambrosij. Si quis verò vel pro regionis, quæ sibi commissæ est, magnitudine, vel alia causa, ad statè visitationis munus longiori tempore opus habeat; ei integrum ac liberum sit, aliquot ante præscriptum tempus diebus visitationis suæ initium facere.

Vicarij autem foranei singuli, pro ratione numero decreto generatim præscripta, tū ab Archiepiscopo sigillatim præscribenda, de regione quæ vniuersi usq; eorū vicariæ curæ demandata est, ad eundem relaturi, Mediolanū quotannis in feria tertia hebdomadæ ante dominicam in septuagesima penultimæ duodecimo scilicet ante eius dominicæ celebritatē die, summo mane in Archiepiscopales ædes ad illum conueniant.

Id verò, nisi aliquando ob tēporis, quod inter Epiphaniam & Septuagesimā incurrit, breuitatē, aut aliam ob causam, eorū Vicariorum cōuentum alio commodiori tempore habendum esse, per literas Archiepiscopales significatum sit.

Quò diligentius verò relationem singuli Vicarij præstent; id subsidij sibi comparent, vt antequam statim cōuentus dies veniat, congregationem parochorum suæ quicq; regionis habeant: à quibus quæcunq; vel vniuersè vel nominatim præscripta sunt diligenter animaduertant, & colligant.

Parochorum propterea cura sit, certo antè cōuentum eum diem tempore, vadere atque exquirere suarum Parochiarum



ehiarum, Parochialiamvè hominum statum, vitam, & mores.

Si quæ verò animaduerterint, quibus salutariter cõsuli aut prouideri oporteat; ea sigillatim & ordine descripta suo quique Vicario tradant, vt ad constitutum tempus Archiepiscopo referant.

Vbi Mediolano, à conuentu quem aniuersarium ipsis Vicarijs stato die indicimus, ad suam quique Ecclesiam redierunt; statim suæ quique regionis parochorum congregatione habeant, de ijs quæ ab ipsis, vel Synodi proximè celebrande, vel alterius rei causa agi præstare uideantur, aut iussimus.

Constituti verò in vrbe ab Archiepiscopo regionum præfecti, quæcunq; ad præscriptam illam rationem eidem referenda sunt; ea tum diligenti stata uisitationis cura, tum Parochorum, quorum paulò ante relationis diem congregationem habebunt, adiumento vsi, post referent, quàm Vicariorum foraneorum dimissa erit constituta congregatio.

Feria præterea secunda post octauam Resurrectionis Domini, si dies festus non est; sin minus, proximo primo feriali die, quo solenniter officium non fit; ijdẽ tum præfecti regionum in vrbe, tum Vicarij Foranei congregationem iterum habeant: in qua & à Parochis etiam colligant, & inter se item uideant, si qua reliqua sunt, quæ post illum conuentum, qui ante Dominicam in sequagesima habitus est, inciderint, quæ item ad Archiepiscopum ante Synodi diem referri oporteat: qualia sunt de ijs qui proximo Pascha non confessi sunt, neq; item communicarint, & de alijs quæ ad eundem deferenda sunt.

Si autem aliqua de causa ad constitutam diem Synodus non habebitur; ne præterea per illos omittatur, quin & præscriptam uisitationem diligenter obeant; & antè Dominicam Septuagesimæ ad Archiepiscopum conueniant, & singula alia præsentent, vt supra, vel illis omnibus vniuersis, vel nominatim scipisq; Vicarijs Foraneis constitutum est; & tertia etiã post Pascha Resurrectionis Dñi hebdomada ad præscriptum eidem Archiepiscopo, tum præfecti descripto referant, ac tradant; tum ijdẽ Vicarij singula mittant.

## Decretum. XLVII.

SANCTORVM Patrum institutis Synodi diœcesanæ cum ob eam causam conuocentur, vt tanquam è specula quadam singulis diœcesis partibus circumspèctis, aliqua in eis ratio inueatur de institueda, communiendaq; Ecclesiastica disciplina; ac de ijs statuendis, quæ ad spirituales diœcesis progressum pertinere videntur: id propterea canonũ iure cautum est, vt viri ætate moribusq; graues, prudentes, ac virtutum Christianarum studiosi testes Synodales constituantur, qui ad Episcopum referant, quæcunq; à se animaduersa, vel corrigi vel reformari oportere putant.

Itaque sicut ij viriliter instituti sunt; ita cautio adhibenda est, vt illorũ munus nõ nomine solũ, sed certis officij partibus rectè, atq; ex canonicis sãctionibus geratur. Quamobrem hæc ex Patrum, & canonũ institutis, nos de eorundem officio præ diœcesis nostræ rationibus decernimus.

Primo igitur testes Synodales, quibus iuratis id muneris committetur, vt illud rectè præstet, hoc planè perpetuò meminerint; se non amore, non odio, inuidia, non spe, non metu, non pœna, non premio, non cognatione, non vlla denique re commoueri aut impediri debere, quominus stato tempore Archiepiscopo denuncient ac significent, quæcunq; corrigi, emendari, aut reformari vtile sit vel necessarium.

Inuestigent diligenter, quo tempore hoc munus gesserint, sine vlla tamen iurisdictione, hæc quæ sequuntur: idq; singuli, aut in vniuersa ciuitate ac diœcesi, aut in regione vnicuiq; eorum scipud nominatim vt supra ab Archiepiscopo commissa. An parochi, Sacerdotes, canonici, & alij quicunq; ecclesiastici homines, in ijs vitæ moribus, clericalibusq; officijs atque institutis se cõtineant, quæ prouincialibus, & diœcesanis nostris Synodis præscripta sunt.

An quos residere oportet, præsentem; in ecclesijs suis adsint; anq; si præsentem, in Parochialibus, vel canonicalibus, clericalibusq; adibus habitent.

An Parochi præterea, alijq; animarum curatores, sollicitè vt debent, fidelium sibi commissorum saluti inuigilent.

De tollibus  
Synodalibus.